

Ex
Prudentia Civilis,
Quæstionem:
*AN LUPANARIA
IN REPUBLICA
sint toleranda?*

Publicè ventilabunt

P R A E S E S
M. AUGUSTUS MULLER,

Meurov. Saxo,

&

R E S P O N D E N S

JOHANNES HEINRICUS 
Dubenensis Saxo.

Habeb. ad diem 8. Octob. cib. 12 ccl.

H. L. Q. C.



WITTENBERGÆ,
Typis MARTINI SCHULTZII, Acad. Typogr.

Q. D. B. V.

S. I.

Quamvis tot præclara Castitatis profsent encomia; quæ sua se pulchritudine in primis commendat, interque virtutes reliquas, ut aurum inter metalla eminet: temporis tamen iniqüitas, & corrupti seculi nostri mores efficiunt, ut ejusdem exercitium & usus admodum parcus, imo rarissimus plerumque deprehendatur. Sicut enim in quacunque virtute una tantum patet via, qua ad felicitatis scopum pervenire licet, quaque neglecta, in varia & periculosa diverticula incidimus: ita & hic saepissime fieri solet, ut homines, à recto cursu deflectentes, vel dextram vel sinistram amplectantur, hoc est, à virtutis tramine vel deficiant, vel ipsum plus justo excedant. Enimvero prius si respiciamus, paulo rarius invenimus esse vitium illud, quod castitati in defectu est oppositum, voluptatesque necessarias abhorret plane ac detestatur. Nam cum, qui eo sunt imbuti, naturam non tantum hominis, sed etiam animalis videantur exuisse, dum omnia animantia sensu prædicta voluptratibus tanguntur, & jucunda appetunt, injucunda vero aversantur: paucos illud invenit cultores, & adeo rarum est, ut ob eis infrequentiam ne quidem proprio appellari nomine posit. Nisi forte eos ad hanc classem retruleris, qui immodo studiorum amore, vel stulto aliquo pietatis zelo correpti, nimiis vigiliis inedia, & abstinentia à legitimo veneris usu vires exhausti, siccq; omnes voluptates, vel maximelicitas spernunt. Quibus quidem, si Diis placet, in primis anumerari volunt Monachi & Moniales, qui postremis his temporibus virginitatem, minime tamen veram sinceramq; affectant. Neutquam vero cum his sunt comparandi, qui ex peculiari castitatis dono, superne dato, heroum more à rebus venereis abstinent; qui tantum abest, ut castitati adversentur,

A 2

tur,

tur, ut supremam potius castitatem exercere censeantur. Sed cum verbum hoc, ex effato Servatoris, non omnes capiant: hiñc ex adverso eo major copia datur, hominum, qui modū castitatis excedunt, & tum quasvis voluptates experunt, tum mancipiorum instar ab iisdem ductuntur, tum deniq; easdem omnibus aliis rebus, etiam honestati, præferunt. Dies me deficeret, si omnia libidinis genera, quæ pessimos quosque homines usus docuit, recensere, aut enumerare instituerem. Inter quæ cum fornicatio, flagitiosa cæteroquin, interim tamen respectu caterorum, tolerabilior videatur: permultos sane patronos est adepta, qui eam ut licitam omnibus viribus defendere sunt conati. Hinc lis eo pervenit, ut ex eodem capite quereretur: *numne in bene constituta Republica lupanaria, quæ fornicationi inserviunt, sint toleranda?* Quam quidem controversiam nunc nostram facimus, & rationibus utrinque inter se collatis, pro ingenii viribus sententiam pronunciabimus. Id quod ut divinum numen feliciter evenire j. beat, devota animi submisiōne precamur!

S. II. Pritisquam autem ad rem ipsam accedamus, more consveto pauca quædam de nomine lupanaris sunt præfanda. Debet autem illud originem suam *lupa*, quæ vox foeminam notat parum honestam, & ita dictam à rapacitate, quam meretrices cum rapaci illo animali, *lupa* appellato, communem habent. Nihil ergo aliud significat *lupanar*, quam *locum communem, ubi meretrices seu lupa profabant, ad quas exercenda libidinis ergo curvis impune aditus permittebatur*. Alio nomine dicitur *fornix*, itemq; *ganeum*, eo quod lupanaria cellis subterraneis fornicato opere, in quibus scorta profitabantur, distincta erant. Ut nihil in præsenti de alis appellatiōnibus, ad nominis evolutionem parum facientibus, attingam. Probe autem tenendum est, nos in universum omnia lupanarium genera, sive publica sint, sive cauponulæ, in quibus

bus latitant hujusmodi sues; sive fiscus & ærarium vectigal
inde capiat, sive minus, & quæ sunt aliae eorum divisiones,
uno eodemque calculo esse notatuos, ad unamque classem
revocatiros. Ne autem scrupulus in vocabulo, Prædicati
vicem sustinente, remaneat, monemus, nobis *tolerare* idem
esse quod *permittere*: *permitti* autem ea dicuntur, *circa que lex*
agenti impedimentum non ponit. Ut adeo vox hæc cum termini
no *licitoru*s æquipollere videatur. Denique cum quidam lu-
panaria *toleranda* quidem, non autem *approbando* existimant:
indicamus, nos discrimen hoc non adeo magni esse aestima-
turos, utpote qui simpliciter quærimus: num lapanaria in
republica sint *toleranda*? pro utraque ergo sententia uno eo-
demque modo, affirmative nimis rura aut negative, prout ra-
tiones postulant, pronunciabimus.

s. III. His igitur remotis scopolis, qui cæteroquin remo-
ram nobis injicere poterant, plenis quasi velis, & secundis,
quod spero, ventis in altum subvehimur. Ac ante, omnia qui-
dem eos recensemus, qui pro affirmativa militant, & lupa-
naria in republica omnino toleranda esse, statuere non ve-
rentur. Inter hos maxime excellit PETRUS GREGORIUS,
quilibet *probasse* eadem videri nolit, dum lib. XIV. de Republ.
cap. 1. n. s. lapanarium, inquit, *adprobationem* nunquam pla-
cuissè bonis viris etiam Ethniciis, multo minus qui leges Dei
colunt: *tolerari* tamen posse, & satius esse *permittere* illa,
quam prohibere, statuit, idque multis, quas infra videbimus,
rationibus confirmare est ausus. Cum hoc sentire videtur,
ARN. CLAPMARIUS, in *de Arcanis Rerum* publ. I. IV. c. XIX.
a quo tamen Sagittarius hanc opinionem amovere conatur,
eo quod *Dominationis* (Aristocraticæ) *jure lapanaria posse colo-*
rari tantummodo affirmarit, in *Annotat. ad Clapm. cap. cit. ob-*
serv. s. 1. p. 242. Ex veteribus vel unicum VAL. MAXIMUM
allegasse sufficiat, qui tamen morem seculi & gentis suæ ob-

A 3 ser.

servat, adeoque vulgarem venerem turpem quidem, sed vero permisam & licitam vocat, lib. VII. c. 3. & 7. Huc trahunt aliqui AUGUSTINUM, l. 2. de ord. c. 4. sed quo jure, quo respectu, postmodum sumus visuri. Inprimis autem SCIPPIO AMIRATUS lupanaria non tantum toleranda esse censet, sed parum abest, quin approbet etiam, & criminis absolvat: vid. l. 3. disc. 2. quem locum deinceps sumus adducaturi. Hujus vestigiis plerique Pontificiorum insistunt, utpote qui pro lupanaribus tanquam pro aris & focis pugnant, teste CHRIST. PRÆTORIO, Pol. part. II. c. IV. qu. VI. p. 234. Et alii, quos in praesenti, spatii lucrandi causa, adducere non libet.

§. IV. Age vero, videamus, quibus nitantur fundamen-tis viri alioquin eruditissimi, & quas pro stabilienda theseos suæ veritate in medium adducant rationes. Omnes autem, quod ego sciam, & singuli horum latibulorum patroni in eo conveniunt, ut I. refugium querant in regula fatis trita: ex duobus malis minimum esse eligendum. Hinc objiciunt tam corruptos & libidinosos esse mores hominum, præsertim in emporiis, & aliis in locis copiosioribus, ut si lupanaria omnia, & cum iis meretrices publicæ omnino tollerentur, futurum sit, ut non tantum virginum & matronarum honestarum pudicitia periclitaretur; & sic stupra ac adulteria cumularentur: sed etiam nefaria puerorum concubitus attentaretur. Hinc cum minus malum sit, ut libidinem suam incontinentes expleant in vulgaribus mulieribus sive prostibulis, quam in alienis uxoribus, aut filiabus, lupanaria omnino esse permitta-nda. Ut quoque huic sententiae pondus addant, in subsidium trahunt Canones, qui, si duo mala ita urgeant, ut alterum eorum necesse sit eligi, etiam adversus jus naturale dispensationem admitti posse concedunt. c. duo mala. distinet. b. Solon certe, unus e septem Græciæ sapientibus, ut ab adulteriis cobi-beretur iuventus, coemptas meretriculas Athenis prostituit primus, ob-

vias-

Viasque in venerem esse voluit, ne matronarum contagio polluerentur :
ALEX. ab ALEXAND. lib. IV. c. 1. p. 176. a. Hinc etiam VALERIUS MAXIMUS patris cuiusdam consilium approbat, quod filium ab infano & inconcesso amore nobilis matronæ inhibuerit, & è contrario ipsi, ut vulgari, ac permissa vene- re uteretur, auctor fuerit, lib. VII. c. 3. ut de innumeris aliis, quibus scatent historiae, exemplis, in præsenti nihil addam. Hoc unicum saltem siccо pede transire non possumus, quod, Nerone delapso in amorem libertæ Actæ, & abhorrente ab Octavia, nobili fœmina & probitatis spectatæ, ne quidem severiores amici Principis aversati fuerint. Metuebatur enim, inquit TACITUS, ne in supra faminarum illustrium prorum peret, si illa libidine prohiberetur : lib. 13. Annal. c. 12. Accedit, quod AUGUSTINUS : Aufer, inquit, a rebus humanis mere- erices, & omnia complebis libidinibus, lib. 2. de ord. c. 4. Hæc SCIPIO AMIRATUS animo perpendens, ita scribit : Sano itaque consilio omnes populi toto orbe terrarum mereerices e civita- tibus suis minime abigendas esse putaverunt, perpendentes, hoc re- medium quanquam per se saluberrimum, partivrum (sc. humana fragilitas respiciatur) adulteria, incestus, supra, aliosque con- cubitus sordidiores & illicitos magis quam mereericum, unde reme- dium gravius morbo evaderet. l. 3. disc. 2.

§. V. Magnopere autem sibi gratulantur lupanarium de- fensores, cum II. vel ipsasmer leges in sententiam suam tra- hi posse existimant. Ad Ius enim Crile provocantes, alle- gent in primis l. 27. §. 1. ff. de Heredit. pet. ubi hæc verba re- periuntur: Etiam pensiones, quæ ex locationibus prediorum urbanor- rum percepta sunt, venient (in hereditatem) licet a lupanario per- ceptæ sint: nam & in multorum honestorum virorum prædiis lupana- ria excentur. Sic ARN. CLAPMARIUS, quem supra ad- duximus, ad rationē politicam fugit, dum jure dominatio- nis aristocraticæ lupanaria colorari posse statuit, lib. IV.

Arca.

Arcan. Rerum publ. c. XIX. Quid? quod in ipso *Jure Canonico*,
saltē ex obliquo, & per bonam consequentiam, fundamen-
tum reperisse sibi videntur, per antea cit. c. duo mala. dis. 13. i-
mo expressis etiam verbis hunc in modum pronunciant *Ca-*
nones: *Lupanaria non infamanti castitatem sed castitas loci abolet*
infamiam, c. tolerabilis. 32. qu. 5. Cum ergo leges circa hanc rem
nullum, ut putant, agenti impedimentum ponant: lupanaria
utiq; in republica debere permitti pronunciandum videtur.

S. VI. Non minori gaudio exultant illi, & inventrum cen-
tum boum maestatione dignum reputant, quando nobis ob-
vertunt III. summam utilitatem, quam fiscus & ararium pu-
blicum ex lupanarium tolerantia quotannis capere posse.
Hinc sub Severo Imp. hujuscemodi prostibula, sicut & ipsi lenones
solvabani rectigal à questu meretricio, idque in ararium refereba-
tur, ad reflectionem publicorum edificiorum, ut amphitheatris, circis,
atiorumque, ut testis est CLAPMARIUS, ib. IV. c. XIX. Sic Caligula
exegit ex gerulis octavam, (summarie partem) ex prostitutis
quantum unaquaque uno concubitu mereret, ALEXAND. ab A-
LEX. genial. dier. lib. 4. c. 10. p. 204. b. Sic & alii Imperatores quo-
dam ac Pontifices Romani his è prostibulis non parum anni censas
colligebant, ut refert HEIDERUS, in Phil. Polit. Syſt. cap. VI p. 902.
Cum igitur lucri bonus odor ex re qualibet, & pecunia ner-
vus rerum gerendarum sit: sempererna certe lex erit ea, cuius
iniquitates utilitate publica leviores apparent.

S. VII. Haud parum quoque momenti sententiae suæ acce-
dere credunt, si IV. multas, easque non omnino obscuras &
barbaras gentes, quæ lupanaria permiserunt, in testimoniu-
mum allegare posint. De Romanis, Spartaniisque res extra
omnem dubitationis aleam est posita, quanquam apud po-
steriores veneris usum non ad satietatem, sed ad necessariam
sobolis procreationem permisit Lycurgus. Sic olim
adud adiles vulgavisse licentiam sūp̄ri mulieres, more inter veeres
recepto,

recepto, quisatis pænarum adversum impudicas in ipsa profesiōne flagitiū credebat, TACITUS refert, i. Ann. c. 85. Sic apud Babylonios comitas habebatur vulgaris corporis vilitas; & liberis conjugesque cum hospitibus stupro coire, modo pretium flagitiū datur, parentes maritique patiebantur. Vid. CURTIUS, lib. V. c. 1. Quinimo olim multa gentes de pudicitia leges non habuere, CONZEN. Pol. lib. III. c. XII. §. 11. p. 145. Non autem gentiles solum, sed & Christiani ipsi, proh pudor, lupanaria tolerant. Pontificiū enim Romani permisso aliquot milia meretricum quāsumū corpore faciunt, vid. GEORG. SCHOENBORN. Polit. lib. III. c. 13. pag. 262. Et Venetiis, Rome, & alibi locorum hodiernum lupanaria feruntur, HEIDER. Phil. Pol. Syst. c. VI. p. 902.

§. VIII. Plura argumenta, quae solent adducere, in præsenti ob pagellarum angustiam cumulare non licet; hinc recto pede, ut Methodi ratio postulat, ad momenta, quæ ex adverso pro nobis pugnant, & thesin negantem mirifice firmant, progredimur. Et hic spatioſiſtimus quasi campus nobis objicitur, ut adeo ex infinita argumentorum copia selectus eo diffiſilior redatur. Ex multis igitur pauca tantum, &c., ni fallimur, præcipua excerptemus. Obvenit autem I. expreſſa Numinis & ſæpius repetita interdiſcio: Deut. XXIII, 17.18. *Ne eſto meretriciſ ē filiabus Iſraeliſ, neque eſto meretricius ē filiō Iſraeliſ: ne iſerto mercedem ſcorſti, aut pretium canis in domum Domini Deitui.* Sic: Lev. XIX, 29. *Ne proſtituas filiam tuam proſtituendo eam: ut non ſcorſetur terra illa, & impleatur illa terra ſcelere.* Conf. Hebr. XIII, 4. &c. Cum ergo hæc oracula ad oculum demonſtrent, lupanaria cum lege Dei, quæ omnem illicitum concubitum prohibet, maximopere pugnare: ultro ſequitur, quod nullo modo licitum ſit magistratui politico, quip-

B

pe

pe qui vicarius Dei est, & custos executorque legis divi-
næ, eadem permittere.

§. IX. Inprimis autem deplorandam in lupanari-
bus II. turpitudinem deprehendes, utpote quæ sordi-
dam, & in omnem vitiorum abyssum præcipitanter insi-
lientem faciunt civitatem. Juventutem enim turpisfi-
me corrumpunt, & ad quævis scelera audacter perpe-
tranda impellunt: *quia lupanaria sunt spirituum immun-
dorum templa, Syrenum antra, corruptela juventutis, clo-
cae impudicitie, fœdarum voluptatum & libidinum sentinae,*
denique omnium vitiorum latubula. TIMPLER. pol.lib. IV.
cap. 5. quest. 15. pag. 374. Liberi aut sunt, aut spuri haben-
tur, si lupanaria permittuntur: *magistratus autem
curare debet, ut liberi in replb. honeste procreentur, educa-
tur, ac instituantur, id. ibid.* Conjugia quoque in ejus-
modi male administratae replb. spernuntur & negli-
guntur. *Hinc enim contingit, ut plurimi matrimonia fugi-
ant, non amore castitatis, sed licentia scortandi:* CON-
ZEN. pol.lib. III. cap. XII. §. 9, p. 144. Imo res ipsa sum-
mam lupanarium turpitudinem docet, & quisque
scortator ex conscientiæ dictamine de turpi scelere
admisso monetur. *Syratonicus cum Heraclæ egressus es-
set, quasi sollicitus respectabat, omniaque ea faciebat, que
illi, qui videri nolent, comitibus admirantibus respondit:
Timere se, ne à quopiam egrediens ē lupanari* (en egregi-
um nomen, quo civitas, lupanaria ferens, insignitur!)
*videveretur. Sceleris enim peracti pudet eos, qui ē lupanarii
egrediuntur.* IDEM. ib. §. 10. Quemadmodum ve-
ro meretrices, & qui cum his cohabitant, sua propria
violent corpora: ita quoque publicam honestatem
& disciplinam deformant, adeoque morbos publice &
hereditario grassantes in Rempubl. invehunt: SCHOEN-
BORN.

BORN. lib. 3. c. 13. p. 262. verbo : *lenones se ab omni honesto vite genere abrupuerunt*, VAL. MAX. lib. VII. c. 7. p. m. 262. Atque ita lupanaria pugnant cum fine Reipubl. qui est *bene beatusque vivere*, BODIN. lib. 1. de republ. cap. 1. Id quod communi Philosophorum suffragio est *honeste iusteque vivere*, TIMPLER. pol. lib. 1. c. 3. p. 19.

§. X. Hem vero III. damnum illud fleibile, & detrimen-
tum, qvod cives ex lupanarium tolerantia accipiunt! Animus
sede quasi sua pulsatur; ut testis est ille apud PLAUTUM in Truc.
Nam mihi hec meretrix, que hic habet Phronsum suum nomen, omnem
& peccore evomit meo prebrensum. Et, robore suo amissio, torpescit.
Norat hoc Cyrus, ideo pro pena severissima, quæ rebellibus de-
betur, luxuriosam vitam imposuit Lydiis. Iis enim, cum iterum
rebellasset, arma & equi sunt adempti, iustisq; lenocinias exercere : &
sic gens industria quondam, potens, & manu strenua, effaminata molli-
zie luxuriaq; virtutem pristinam perdidit ; & qvos ante Cyrum invicti
bella prafiterant, in luxuriam lapsi otium ac desidia superavit ; JU-
STIN. I. c. 7. §. 12. 13. Inprimis autem libidinis virio bonum pru-
denter, sagacitas, & cura futuri obtunditur. *Quæ una est res Reipubl.*
pernicioſissima. Nihil est tam mortiferum ingenii, quam libido. AD.
CONZEN. pol. lib. III. cap. XII. §. 6. p. 144. Pariratione & corpus
majorem in modum affligitur, & in libidines dilapsum vires fu-
as amittit. *Nam non est ille corporum vigor, ac robur in perdita civi-
tate, qvod est in bene morata.* Persæ fortes, & agrestes, vicere Babylonios,
vivos, ut verbo dicam, meretricios. Persas jam enervatos Macedonum
ruficæ durius, illos Romani nondum vulgaris libidinibus imbecilles, hos
Heruli, Gothi, Hurni, alijq; Barbarorum, donec & illi fortioribus succum-
berent. ID. ib. §. 8. Non minor in facultatis & fortuna bonis, si
cives respexeris, est jaætura : ut adeo rebus sic stantibus, sapientie
perditis & exhaustis facultatis conqueri necesse habeant, ad
modum illius apud PLAUT. in Truc. *Meretrix meum herum misera*
sua blanditia intulit in pauperiem, privavit bonis, luce, honore atq;
amicis. Et ut paucis multa complectar: *Lupanaria omnis pru-*
dentie,

*dentie, rationis & judicii in adolescentibus sunt corruptio: vita ac valedic-
tudine, honore atque amicis perditis, bonorum dilapidatione dant cau-
sam: juventutis corruptionem inferunt: mores civitatis depravant,
corporis miserandum in modum torquem: cum talia scorsa ex sano iu-
sanum, ex robusto invalidum, ex solido eretologo corpore lecto affixum effi-
ciant. vid. PREIBIS, Colleg. Polit. Disp. 6. part. post. theor. 2.*

*S. XI. Cumulare possem argumenta, & plura in rem no-
stram adducere: sed cum in primis angusti spatii sit habenda
ratio, & præterea non multitudine, sed pondere argumentorum
veritas sit defendenda; hic acquiesco, & tandem ad rationum
contrariarum discussionem me accingo. Qvod autem I. ad
canonem illum, quo malum minus esse eligendum præ majori
statuebatur, attinet; responderet hic Excellentissimus ROE H.
RENSEE, Præceptor noster immortaliter colendus, hunc in
modum: *Regula loquitur de malis trifibibus, non de turpius, aut ubi
rispe cum turpi comparatur: Ex duobus malis moralibus neutrum est
eligendum, cum, quicquid eligis, peccati te in conscientia convincat.* Præ-
udent. Moral. part. IV. class. II. dr. I. §. 23. pag. 591. Add B. MEISN.
Phil. Sopr. part. I. Sect. II. cap. 2. q. uest. V. pag. 492. seq. Hinc ex hoc
principio lupanaria evertuntur, quia constat, ut: unius malum (morale)
est, tam promiscuum & vulgi vagam venerem, quam honestarum mu-
tuerum confratrationem: DANNHAUER. q. uest. moral. annex. J. I.
ni. q. uest. pol. cap. 2. q. uest. 6. §. 49. pag. 555. in primis autem e s. q. uest. 6.
pag. 627. seq. ubi paulo uberiori hanc controversiam pertractavit.
Sed quid opus est, ut tam arctis canonem, hac quidem in do-
ctrina, circumscribam limitibus? Falsum enim est, imo fal-
sissimum, qvod ejusmodi lustra sint libidinum remedia; sunt
potius eorum incentiva, & ad majora facinora perpetranda suos
cultores instigant. Illustrus locus est apud AD. CONZEN,
quem Autorem ideo tam frequenter allego, quia pontificius
scriptor, suorum tamen ipse sententiam derelinquit, & omni-
bus modis labefactare, nec infeliciter, conatur. Is enim Pol. lib.
III. cap. XII. §. 14 pag. 146. ita: *Improbissima est eorum ratio, qui publi-
cis illis voluptatibus (prostibulis & lupanaribus) deteriora caveri**

475-

arbiterantur: ubi illa invaluerunt, flagitiosissima quæd, perpetrantur.
Ergo optime cætitati consulti: quæ esse non potest, si publica sunt incita-
menta libidinam. Et §. 17. pag. 147. sicut, inquit, qui ob improborum
incontinentiam lupanaribus urbes incestare non dubitari, quæsi minore
jactura damna graviora evitentur. Scortionem inter Christianos
permittunt, ne in adulteria, incepsus, aliaq; probra inardeant. Error
est, & gravis quidem, nam in illa licentia rudimenta capiunt improbi,
ut majora audeant. Nullo in fornicatione est sola scoratio. Violantur &
ibi conjugia. Numquam majora pericula sunt matronarum, quam ubi
scorta eruditum juventutem. Cum autem in quibusdam locis val-
de corrupti & libidinosi sint mores hominum: doctissimus
Auctor sedulo monet, ut illi legum ac poenarum acerbitate &
severitate coerceantur, & ad meliorem frugem revocentur. Sic
enim §. 10. p. 144. ait: Ni libidinibus serio per leges poenasq; armata
publica auctoritas obviari eat, fas est q; securas expedias, omnia op-
probria, ac horrenda inundabunt, eritq; civitas magnum lupanar. Conf.
etiam HEIDER. Phil. Pol. Syst. cap. VI. p. 903. Rebus ita compa-
ratis parum præsidii adversæ parti addicti in exemplis & ma-
gnorum virorum testimonii reperient. Cum enim funda-
mento solido careant, & principio haud recte applicato nitan-
tur: ultra ea, quæ superstructa sunt, sua infirmitate collabuntur.
Ad AUGUSTINI vero auctoritatem si provocant, statis respon-
sionis suppedabit DANNHAUER. auctor. qvæst moral annex.
Junii qvæst. pol. cap. V. qvæst. b. 628. Nobis in præsenti circa hoc
membrum vel unicum D. Apostoli monitum adversus omnes
adversantium exceptiones sufficerit: Non sunt facienda mala, ut
eveniant bona. Rom. III. 8.

§. XII. Non firmas præsidium adversæ sententiae de-
fensores ex Legum auctoritate sibi conciliabunt. Licet enim
Iure Romano antiquo per l. cit. & alias lupanaria permitta-
rint, & in lenones præter infamiam publicam nihil fere statu-
tum fuerit: subsequentibus tamen temporibus has leges ter-
minis suis esse circumscriptas, & senatus consilio cautum, ne
q; p;sum corpore fageret, cui avus, aut pater, aut maritus Eques Roma-

marfuisset, testis est PETRUS AERODIUS, Pand. ab Oldenburg, re-
cogn lib.8. tit.1.c.19. Imo, quia juris civilis una ac precipua pars est,
HONESTE VIVERE, ID. ibid.lib.5. tit.10.c.2. novis legibus an-
tiquæ plane sunt abrogata, cautumque ut jure communie vel in-
differenter lenocinii pena ultimum sit supplicium, Novell.14. §.
præconizamus. l.i. §.2 ff. de extr. crim. Add CARPZOV. P.4. cap.
29. def. 6. Licit quoque CLAPMARIUS jure dominationis
colorari posse lupanaria contendat, eorumque permisio vulgo
ad jus dominationis referatur: negare tamen illud videtur,
fuis rationibus innixus, HEIDERUS, dum Cap. VI. syl. Pbil. pol. p.
902. Hoc, inquit, si Dominationis jus est, omnium erit Rerum publica-
rum; verum lupanaria ferenda neque sunt, neque nunc quidem tempo-
ris feruntur in civitatibus, qua & prudenter & pie gubernantur, quic-
quid tandem Venetia, Roma, & alib. locorum sit. Quid? quod ipse
CLAPMARIUS huic iuri duo sepimenta, five terminos statuat:
divinum numen, five Religionem, & Fidem, five pudorem: quodque
cum his pugnat, non jus, sed extreemam potius immanitatem &
tyrannidem vocet, Arcan. Rerum publ. lib. IV. c. 4. Imo jura Domi-
nationis cedunt juri divino, loc. cit. cap. XXI. confer SAGITTA-
RII Annotat. ad hunc Auctorem pag. 242. §.1. Neque denique
præsidium lupanaribus conciliatur ex Jure Canonico: Cum e-
nim fornicatio cum Dei iustitia ex Diometro pugnet, ne quidem per
dispensationem Dei (multo minus Canonum) ea fieri potest licita; C
vid. CARPZOV. Pr. Crim. part. II. queſ. LXX. num. 1. Laudatur
ergo, & merito quidem, Theodosius Imp. qui cum locum
Deut. XXII. 17. legisset; jus divinum summam agendi regulam
putavit, & lupanaria Romæ omnia sustulit, SOCRAT. H. E.
lib.5. cap. 18.

§. XIII. Summam tamen, inquit, utilitatem lupanaria
fisco & xxario publico afferre solent? At enimvero, qui fiat, ut
id, quod singulis civibus est noxiu[m], publice tamen rei condu-
cat? Supra certe evictum est, & rationibus comprobatum,
quantum detrimenti cives ex lupanarium tolerantia capiant:
hinc de vero commodo, quod in Rempubl. redundet, maximo
pere

pere dubitari poterat. *Lupanaria enim iram & vindictam Dei gravissimam provocant adversus Rempubl. eique ruinam & interitum accelerant, TIMPLER. pol. lib. IV. cap. V. qvapfst. 15.* Qvapropter ex meretricia mercede plus damni, qvam utilitatis in fiscum cadit. Apud Spartanos certe ex permissione scortationis innumera mala orta sunt; nam & Helots freqventer repugnarunt, & cives ad magnam paucitatem rediitli sunt, atque ipse etiam ager in paucissimorum latifundia coivit. Hec igitur cōqūia Spartani exitio fuit. CONZEN. lib. III. c. XII. §. 14. Valeat ergo Praeful Romanus & Imperatores illi, cum qvastu suo meretricio: illi namque, qui à pontifice fecerunt secessionem, abominabile illud remedium dudum susulerunt, experientia confirmati: posse florere Respublicas & Civitates, sine publicis meretricibus, SAGITT. ann. ad CLAPM. Arc. Rer. p. 242. Observet interim Magistrat⁹ consiliū, qvod doctissim⁹ CONZEN. l. III. c. 12. §. 16. cuiilibet insurrit: Audacter, inquiens, o Princeps, succide crescentem luxuriam sylnam, subtrahe occasio-nes, amore instrumenta libidinum, delinimenta delicia-rum, quamvis minus culta, minus opulenta civitas videatur, NB. quamvis arario aliquid decedat, præstat frugaliz mediocritatis, profusis & luxuriosis opibus. Et paulo post summis ornat laudibus quendam, Florentinum, quod is, cum lenones expelli magnopere optat, & fisci detrimenta objecta essent, vicaria pensitatione prædii sui damna sarciverit, ut quantum imperio ob pullas illas pestes decederet, tantum ex pri-vati reditu substitueretur.

§. XIV. Non denique patrocinatur contraria opinio-ni, quod olim etiam apud gentes permisso magistratum ista pellicum conciliabula habere licuerit, & adhuc apud Pontificios liceat. Multitudo enim populorum errantium pesimo huic facinori non parit patrocinium; nec, quod iniquum est, robur ex vetustate capere potest. *Omnium quidem temporo-rum libidines fuerunt; Sed & libidinum pœna. - - Ro-ma libidine accenmiratus est abolitus - - Impie libidinis*

Lace-

Lacedemon graves pœnas dedit, pugna Leuctrica attriti vi-ribus, CONZ. III. c. XII. §. 3. p. 142. Nobis è contrario non desunt exempla, populorum, qui ejusmodi turpes concubitus maximopere sunt aversati. De Romanis ipsis nihil addam, apud quos diu præ ceteris gentibus honestas publica viguit, usque dum *Gemellus Viator, Confale & Trilunus invita-rii, lupanar domi erigeret, in quo ingenuum, sed degenerem Roma sanguinem prostituit.* Id. ab. §. 4. p. 143. In medium potius produco Vandalos, & alios barbaros homines, qui commendantur, quod vel tactum meretricium horruis-sent, & si quas reperissent in urbibus à se captis, ad thorum conjugalem illas adegissent. AVENAR. Sesqui-Cent. quæst. Nomico-pol. quæst. CXLII. pag. 268. Nobis igitur, quibus publica honestas & rectitudo propugnanda est, con-suetudo ista, qua lupanaria in quibusdam Rebuspubl. o-lim sunt permissa, & adhuc feruntur, abominabilis, reipubl. noxia, & detestanda videtur.

S. D. G.




ULB Halle
001 507 494


3



TA 30 L

VDA 8





B.I.G.

Ex
Prudentia Civilis,
Questionem:
**AN LUPANARIA
IN REPUBLICA
sint toleranda?**

AB 386.

1701 44a

Publicè ventilabunt

P R A E S E S
M. AUGUSTUS MULLER,

Meurov. Saxo,

&

R E S P O N D E N S

JOHANNES HEINRICUS Pfahl

Dubenenfis Saxo.

Habeb. ad diem 8. Octob. cib. Is ccl.

H. L. Q. C.



WITTENERGÆ,
Typis MARTINI SCHULTZII, Acad. Typogr.

